


270

XIII



ΕΥΦΗΜΙΑΙ
IN NUPTIAS

*Dignitate generis, omniq̄ virtutis, ac
Eruditionis laude Clarissimi Viri*

D. BARTHOLOMÆI
REVSNERI, I. V. D. ET PAN
dectarum Professoris in celeberrima V Viteber-
genſi Academia Publici.

Cum lectiſſima caſtiſſimaq̄ Virgine

DOROTHEA


Ampliſſimi Conſultiſſimiq̄ue Viri

D. IOANNIS ZANGERI, IV
riſconſulti præſtantiſſimi, & Decretaliū Pro-
feſſoris ibidem celeberrimi Academiaq̄; Senio-
ris vigilantiffimi F.

Amoris & Honoris ergo

Scriptæ ab Agnatis & Amicis in
illuſtri Salanâ.

VVITEBERGAE,
Typis Cratonianis, Anno 1601.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly mirrored.



Anagrammatismus Nuptialis

D. BARTHOLOMÆO REVSNERO,
ET
DOROTHEÆ ZANGERÆ
Sponso Sponsæque.



I SERVS AMOR HABET futuri
NERVULOS,

Quod nominis anagramma dicitur tui
REVSNERE: quid quæso amplius tibi
precer,

Quam fervidos amoris Seri nervulos:
Cum DOROTHEA jam thalamum subit tuum
ZANGERA: pura moribus, animo, fide,
Pietate virgo sic THORODEA fit tuo:
Ingens DEI DONVM dono sic accipis.
GENS chara & ARA sint nati inde liberi (Spro Z)
Opto familiæ utrinque celebratissimæ:
Quod Sponsa nomine jam repromittit suo,
Omen DEUS firmet suo bene numine
Votum secundans hoc pium TER MAXIMVS.

N. Reusnerus D.
Com. Palat. Cæs.

A 2

Salve



Alve Myſta DICEs. Muſarum gloria ſalve,
Quo nō eſt Themidi, nec Phœbo carior ullus:
Qui decus eximium ſpacioſo nobilis orbe
REVSNERIAE gentis magnis Virtutibus augeſ.
Salve Myſta DICEs: Muſarum gloria ſalve.
Accipe quod fido mittunt tibi pectore carmē
Salaides: læta tibi proſpera luce precantes,
Quæ luce hæc lætus tibi, SPONſE, tuæq; precaris,
Salve Myſta DICEs: Muſarum gloria ſalve,
En tibi lux dudum votis optata pudicis
Surgit ab Oceano, portans optata tibiq;
Atq; tuæ pariter portans optata puellæ.
Gaude Myſta DICEs: Muſarum gloria gaude.
Iungitur ecce tibi felici fidere virgo:
Virgo, cui pater eſt meritis pietateq; clarus,
Oræ Saxonidos columeſ, præſesq; Themistoſ,
Leucoridoſq; decus: quo non præſtantior alter
Aut Labyrinthei nodos evoluere Iuriſ,
Conſilio aut patriam regere, aut componere lites.
Gaude Myſta DICEs: Muſarum gloria gaude.
Iungitur ecce tibi felici fidere Virgo,
Sedula quam primis pietatem mater ab annis
Palladiasq; artes docuit: ſeu ducere lanas;
Seu libeat tenues percurrere pectine telas.
Gaude myſta DICEs: Muſarum gloria gaude.
Iungitur, ecce tibi felici fidere virgo,
Quam pudor & caſti decorant ſine crimine mores;
Blanda verecundi commendat gratia vultuſ,
Sidereuſq; oriſ ſplendor: certantia ſtellis
Lumina, labra roſis, candenti brachia lacti;
Pectora, colla, manuſ Parium ſuperantia marmor.
Gaude Myſta DICEs: Muſarum gloria gaude.

Tu

Tu quoq; virginei gaude fax splendida coetus.
Iungitur ecce tibi felici sidere Sponsus,
Præclarum genus antiquo de stemmate ducens.
Ille tibi patruos fama super æthera notos
Concilians, nunquam violando foedere iungit.
Quanta igitur focero gener hic PATRE gaudia sentit:
Tanta PATRISOCERO generum hunc legisse voluptas.
Gaude, virginei coetus fax splendida, gaude.

Iungitur ecce tibi felici sidere Sponsus.

Qui virtute sua splendorem stemmatis auget:
Ingenio magnus, multaq; ornatus ab arte:
Cui Phœbus dexter, facilesq; in carmine Musæ:
Cuius ab ore fluunt cultæ modulamina linguæ:
Cui trita æquarum sinuosa volumina legum:
Cui meritò Themis alma caput diademate cinxit,
Gaude, virginei coetus fax splendida, gaude.

Iungitur ecce tibi felici sidere Sponsus,
Quo vitæ melioris iter rimatur, & alta
Mente Dei vocem noctesq; diesq; reponit:
Quem virtus stimulis agitant & candor honestis.
Gaude, virginei coetus fax splendida, gaude.

Quod superest, vestrum cingat concordia lectum
Vester amor longos duret non mobilis annos:
Vestram circumstant florentia pignora mensam.
Absit Eris: procul hinc morbi curæq; facestant.
Hoc est, quod mecum tibi, Sponse, tuæq; puellæ
Fidæ Salaides syncerò corde precantur.
Tu salve Veneris, Phœbiq;, DICEsq; sacerdos.

Zacharias Brendel, Med. D.

A 3

Sat



At citò, quod bene fit, simul & ratione monente;
Ardua consilio res peragenda bono est.
Ardua conjugium res est; quo sanctius ullum
Non hominum generi munus habere datur.
Quod benè cui cedit, felici ab origine ceptum,
Cum precibus castis, consilioq; gravi:
Res ea grata Deo, res vitæ est usibus apta
Humane; quâ nil sua vius esse queat.
Conjugium si cui felix contingit; is annos
Et spatium vitæ longius assequitur.
Si malè quis ducat, malè vel quæ nubat; eidem
Decedit vitæ portio magna suæ.
Quod dum mente piâ tecum quoq; Sponse revolvis,
Et benè nunc longo tempore cautus agis:
Quàm benè consuluit vestri Deus auctor amoris,
Sponse tuis votis, Sponsaq; casta tuis.
Dum tibi Leucoreas inter benè culta puellas,
Ducitur eximij filia chara patris,
Filia ZANGERI, quo vix consultior alter;
Sive docenda Schola est, lis vel agenda foro.
Et tu Sponsa viro nubis, qui stemma paternum,
Præclaris ornat dotibus ingenij.
Quos ego non possum tenui comprehendere versu:
Res erat Heroo dignior illa pede.
Quis non REVSNEROS novit, quos fama perennis
Et decorat virtus, nobilitatq; genus?

Hæc

Hac genitum de gente tuum amplexare maritum,
Sic generis crescet gloria magna tui.
Nobile conjugium, quod virtus clara parentum
Conciliat: dos hæc maxima, verus honos.
Connubium hoc firmet vestri Deus æquis amoris
Auspex, & stabili lege coire velit.
Absit Eris: pius adsit Eros: sit copia dives:
Sit sine felle torus, non sine prole domus.
Quinubi Luna decem complevit cornua; blandum,
Te faciat mater nomen habere Patris.

Iacobus Stintius D.

D At Deus omne bonum, dat opes, pruden-
tiam, honores,
Noticiamq; hominis, notitiamq; sui.
Hæc tibi cuncta dedit: nunc his superaddit
amicam
Costam, dulce tori, BARTHOLOMÆE, decus.
An dubitas? fatale Dei cœlesteq; DONVM
Nomine DOROTHEE te docet ipsa suo.
Augeat in vobis, precor, hæc sua dona I EHOVA:
Filiolosq; torus filiolasque ferat,

Elias Reusnerus L:
Φιλαδέλφιας ἑνεκα F.

Ejusdem

Eiusdem

V O T V M N E O N Y M Φ Ω N

ἀναγραμματικόν.

BARTHOLOMÆVS REVSNER, IVRIS
UTRIUSQ; DOCTOR, ET DOROTHEA
ZANGERA CONIVGES.

Tu qui corda regis nutu, largire secundas
Res nostro, Zebaoth vere Iehova, toro.



! fausti ominis auspiciq; dextri
Dignum ô ! candidulo diem lapillo.
Quo REVSNERUS honos ocellulusq;
Dices legiferæ, serenioris
Minervæ & Charitôn decus perenne,
Splendor Leucorei albicans Lycei
Prosperâ placidè auspicante sorte
Musteam, nitidam, venustulamq;
Quo Zangeriaden puellularis
Florem Dorotheam inquo catervæ
Vinculo sibi copulat jugali.

O! par nobile conjugum; secundo
Conjunctum omine cœlitum; nec impar
Patrum sanguine splendido, nec impar
Morum lampade, gemmæ nec impar
Virtutis studio arduo, nec impar
Conspirantibus unicè atq; amicè

Volun-

Voluntatibus, omnibusq; votis.
Non Reusnere alibi venustiore,
Non teq; officioq; digniore,
Non comem mage moribus pudicis,
Non comtam magis approbamq; men,te
Cui dotes tribuere luculentas
Ad fatim Charites, Venus, Minerva,
Sponsa repperies beate Sponse.

Nec Zangeria tu venustiore,
Necte neve parente digniore,
Nec comem mage moribus politis,
Nec cultum magis adprobamq; mente,
Cui Peithoq; Diceq; Gratiaq;
Certatim variam obtulere laurum,
Sponso repperies beata Sponfa.

O! par nobile conjugum & beatum,
Lati vivite, prosperi vigete,
Nectorum dolor anxitudo, questus
Turbent tristificentq; nuptialem:
Sed hunc deliciae joci lepores
Ornent latificentq; conjugales.

David Hessus Art. Jur.
St. & P. L.

Aliud

A L I V D.



Vae Reusnerorum non cepta Iehova secundat,
 Quae non Reusneris prosperiora cadunt?
 Usq; adeo Natura suis hic viribus usa est,
 Et PANDORA suas exoneravit opes!

Quam pare, quam parili sociale in fœdus amoris
 Reusnerus veniunt & Theodora gradu.

Qua Generis, qua virtutis, qua sortis & artis
 Omne genus non est disferitatis apex.

O par conjugium, paria ó socialia vincla!

Par sit amor nuptis, par sit Hygeia Novis.

Sitis amore pares etiam, quando estis honore:

Sic non Atatorum non violabit Eris.

Sitis & ingenio numeroso, sitis & ævo

Sitis & incolumi prosperitate pares.

Stemma Leorinum fecundo germinis auctu

Amplificet multus Filius atq; Nepos.

Qui res, qui populos Fratris moderentur ad instar.

Quem Saxo oraclum consulit usq; suum.

Ingenioq; patrem transcendant, artibus omnes,

Atq; illustre novo stemma decore beent.

Hoc voveo REUSNERE: ratum quo fiat id omne,

Esto vir, esto pater, esto avus, esto senex!

M. Iacobus Rosfeldus honoris
 igitur f. IENAE.

Ana-

ANAGRAMMA

Viro Nobilissimo Clarissimo Consultissimoq̄

DOMINO

BARTHOLOMÆO REVS

NERO I. V. D. AC PROFESSORI
in alma VVitebergensium Academia
publico, Sponso,

Et Susannæ pudoris Virgini

DOROTHEÆ ZANGERIÆ,

VIRI

Magnifici atq̄ Nobilissimi

Dn. IOANNIS ZANGERI. I. V. D.

Professoris ibidem ac ordinarii &c.

Filiæ Sponsæ sacrum.


BARTHOLOMÆVS REVSNERVS, IV.
RIS UTRIUSQ; DOCTOR, AC DORO-
THEA CANGERIA NEOGAMICI.

Ob curas varias rerum, ingentesque
dolores

Hac mihi nocte Viro casta (eo)
Virgo datur!

*M. Iohannes Hartmannus Rotenburg.
Tuberan. Franc. F*

List det. nr. A 575



[Faint, illegible blind-tooled text or decorative patterns on the cover]